

prefecit. Tandem ipse anno ab incarnatione Domini 874. secundum Frisingensem vel 6^o juxta cronicam Reginonis apud Franconefurt palatium diem clausit extremum 5. Kal. Sept. sepultusque est in monasterio sancti Nazarii quod Lorosham nuncupatur. Fuit autem iste princeps christianissimus, fide catholicus, non solum secularibus verum etiam ecclesiasticis disciplinis sufficienter instructus, que religionis, que pacis, que justicie sunt ardentissimus executor, ingenio perprudens, consilio providentissimus, in dandis sive subtrahendis publicis dignitatibus discrecionis moderamine temperatus, in prelio victoriosissimus, tam armorum quam conviviorum apparatus studiosior. Cui maxime opus erant instrumenta bellica, plus diligens ferri rigorem quam auri fulgorem. Apud quem nemo inutilis valuit, in cujus oculis perraro utilis displicuit, quem nemo muneribus corrumpere potuit. Aput quem nullus per pecuniam ecclesiasticam sive mundanam dignitatem obtinuit, sed magis ecclesiasticam probis moribus et sancta conversatione, mundanam devoto servitio et fidelitate sincera. Filii autem hujus regis, cujus memoria in benedictione est, regnum paternum sic dividerunt: Karlomannus Bavariam, Pannoniam, Carinthiam, Bohemiam, Moraviam; Ludewicus orientalem Franciam, Turingiam, Saxoniam, Fresiam, Lotharingiam; Karolus vero Alemanniam et quasdam civitates Lotharingie propter vini copiam accepit. Istarum duarum filiarum cineres sacrati cum ossibus de lapideis sarcophagis subterraneis, in quibus distinctim sepulte per annos fere 400 jacuerunt, diligentissime et divisim colliguntur. Sed in sarcophago altaris beate virginis proximior ossa et cineres illustris Berthe anno Domini 1272, decimo Kal. Novemb., indictione prima, sub Gregorio papa, sub Eberhardo episcopo Constant. de Waltburch, sub Elizabetha abbatissa Thur. dicta de Wez-zinkon. In altero vero novo sarcophago consimili et quasi contiguo ossa et cineres illustris Hiltegardis reconditi sunt decenter et devote anno Domini 1273, quinto Kal. Ianuarii, videlicet festo Innocentum, quod tunc in quartam feriam evenit, indictione predicta, sub papa, episcopo, abbatissa antedictis.

Ut autem affectus laudabilis, quem iste serenissimus rex, cujus memoria ab audicione mala non timebit, habuit ad monasterium, quod ipse fundavit magnifice mira dote in honorem sanctissimorum martirum Felicis et Regule, quorum corpora in eodem monasterio ab ipso reverenter condita requiescunt, ac ob dilectionem specialem, quam liquido patet habuisse ad illustrissimas filias suas Deo maxime devotas virgines immaculatas, Bertham scilicet et Hiltegardem, quarum corpora, ut premisi, in premissio monasterio requiescunt, vita et conversatio ipsarum qualis fuerit, Ihesus Christus filius Dei omni tempore ad tumbas earum multipliciter revelat, nam diversi variis languoribus irretiti illic sanitatis recipiunt incrementum. Ut